

Jasperus Bassa viginti millium peditatu, ac quinquaginta tormentis tutabatur, Tiphembachio duce, magna cum interneione hoste pulso, potiti ibi copias locavere, Mehemetes paulo post superveniens in objecta ripa castra posuit. Ibi triduo, vario eventu, dimicatum. Prima die cum Cæsareanorum præfecti amnis transitum hosti permittere, in illum postea sese effusuri decrevissent, miles moræ impatiens, cum vix tria millia trajecissent, Turcas adortus, plerosque cædit, reliquos regredi compellit. Cum utrimque continenti tormentorum e ripis ejaculatione, res ageretur, postridie ejus diei levioribus certaminibus pari fortuna depugnatum. Tertia dies supremo certamini edendo aderat: copias Cæsareani expediunt, milites curare corpora jubent; majore hostium parte amnem transmissa, in eos totis viribus impetum facere præcipiunt. Turcæ equites sex circiter mille, quatuor Scytharum millia, Janizzerorum prævalida manus, reliquis insequentibus, traiiciunt. Atrox prælium initur. Principio egregie se Turcæ tueruntur: at, Cæsareanis instantibus, inclinare agmina, tergadare, tormentis aliquot relicts, cœperunt. Autem animis nostris, adeo sese inferunt, ut amnem transgressi, fugientem hostem usque ad Mehemetis tentoria persequerentur. Inde tota acie terror & consternatio; Mehemetes ipse saluti consulens, cum paucis aliquot equitibus fugam capessit. Verum in Germanis militibus plus avaritia ac prædivitum exuviarum cupido, quam militaris virtutis ac disciplinæ gloria potuit. Abjecta verecundia præfectorumque metu, se prædæ ingurgitant, hostique restituendæ aciei tempus præbent; qui, obversa fronte, Germanos pedites rapinis immersos, perturbatos, nullo ordine, nulla disciplina, adortus cædit, dissipat, fundit, quatuor & viginti millibus interfectis. Fortuna a Christianis ad Turcas versa; victoriæ fructum nostris hostes ademerunt. Ejus laudem Assanes Cicala omnium consenserunt, qui, desperata prope re, incredibili ausu ac fortitudine suos adhortatus, in palantes ac prædabundos Germanos ingenti impetu invadens, labantem aciem restituit, Mehemetem ipsum tutatus, qui imperium ei ac vitam debere confessus, ad supremam Visiri dignitatem statim extulit. Tuncque Assanem orasse Regem ferunt, ne se celeri impetu in altum adeo tolle-

H. Mauroceni T. III.

O

ret,

Turca &  
Cæsareanis  
funduntur  
& Meheme-  
tes fuga sa-  
lutem sibi  
confulit.

Cæsareani  
præda avi-  
di a Turcis  
interfecti.

Assani Ci-  
calæ virtus.